



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Maurus Abbas. Observatio Regularum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. MAURUS ABBAS.

Observatio Regularum.

Deus, religiosæ vitæ institutor & fau-
tor, cujus normam per S. Maurum
Galliis inferri voluisti; da cunctis ejus
professoribus, observantiæ spiritum;
& singulis nobis suæ cujusque voca-
tioni congrue ambulare.

*Ora pro languide observantibus Regu-
laribus.*

MAVRVS, à monasterio Casinensi de-
 legatus in Gallias, ad S. Benedicti
 Regulam trans Alpes constituendam, Glan-
 nofoliense ibidem monasterium construxit
 seculo Christi sexto; eiq; annis 40 præfuit
 in vita atque post mortem miraculis cla-
 rus. Putatur vulgo ille ipse esse, qui pro-
 lapsus in aquas S. Placidum, super illas
 gradus, salvum eduxit obedientiæ me-
 rito. Hoc certum, quod sequacibus suis
 exemplum reliquerit perfectæ observantiæ
 ad plurima mox per Galliam & Germani-
 am monasteria propagatæ. Corpus an-
 no 868 translatum in diocesim Parisien-
 sem, inclito istic monasterio erecto no-
 men dedit: quamquam illud inde Nor-
 mannorum metu sæpe alio portatum sit,
 non sine crebris miraculis. Archimonaste-
 rio autem Casinensi brachium quoque
 unum obtigit, dono S. Odilonis Abbatis
 Cluniacensis.

*Qui custodit mandatum, servat animam
 suam: qui autem negligit viam suam, mor-
 tificabitur. PROV. 19.*